Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Publii Terentii Comoediae sex

Terentius Afer, Publius

Francofordiae ad Oderam, 1606

Actvs IIII. Scena VIII.

urn:nbn:de:bsz:31-139622

Visual Library

Tu hic nos dum eximus interea opperibere:
Nam nihil eſt illic, quòd moremur diutius.
Ch. Minas quidem iam decem habet à me filia:
Quas pro alimentis eſſe nunc duco datas.
Haſce ornamentis conſequentur alteræ.
Porrò hæc talenta dotis appoſcent duo.
QVAM MVLTA iniuſta, ac praua fiunt moribus?
Mihi nunc relictis rebus, inueniendus eſt
Aliquis, labore inuenta meo cui dem bona.

ACTVS IIII. SCENA VIII.

Menedamus, Chremes.

Senarij.

MVltò omnium nunc me fortunatiſſimum
Factum puto eſſe gnate, cum te intelligo
Reſipiſſe. Ch. vt errat. Me. te ipſum quærebam Chreme:
Serua quod in te eſt filium & me, & familiam.
C. Cedo, quid vis faciam? M inueniſti hodie filiam.
Ch. Quid tum? Me. hanc ſibi vxorem dari volt Clinia.
Ch. Quæſo quid tu hominis es? Me. quid? Ch. iamne oblitus es,
Inter nos quid ſit dictum de fallacia,
Vt ea via abs te argentum auferretur? Me. ſcio.
C Ea res nunc agitur ipſa. M. quid dixti Chreme?
Errani: ſic res acta eſt, quanta ſpe decidi?

Errani, prima ſyllaba pertinet ad verſum præcedentem.

Ch.

Ch. Imò hæc, quæ apud te eſt, Clitiphonis eſt
Amica. Me. ita aiunt. Ch. & tu credis? Me. omnia.
Ch. Et illũ aiunt velle vxorẽ, vt, cum deſponderim,
Des qui aurum, ac veſtem, atq; alia, quæ opus ſunt, comparet.
Me. Id eſt profectò: id amicæ dabitur. Ch. ſcilicet
Daturum. Me. vah, fruſtra igitur gauiſus miſer:
Quiduis tamen iam malo, quàm hunc amittere.
Quid nunc renunciem abs te reſponſum Chreme?
Ne ſentiat me ſenſiſſe, atq; ægre ferat.
Ch. Ægrè? nimiũ illi Menedeme indulges. M. ſine,
Inceptum eſt: perfice hoc mihi perpetuò Chreme.
Ch. Dic conueniſſe, egiſſe te de nuptijs.
Me. Dicam, quid deinde? Ch. me facturum eſſe omnia,
Generum placere: poſtremo etiam ſi voles,
Deſponſam quoq; eſſe dicito. Me. hem iſtuc volueram:
Ch. Tanto ocyus te vt poſcat, & tu id, quod cupis,
Quàm ocyſſimè vt des. Me. cupio. Ch. næ tu propediem,
Vt iſtam rem video, iſtius obſaturaberere.
Sed hæc ita vt ſunt, cautim & paulatim dabis,
Si ſapies. Me. faciam. Ch. abi intrò: vide, quid poſtulent:
Ego domi ero, ſi quid me voles. Me. ſanè volo:
Nam te ſciente faciam, quicquid egero.